

xv.  
470

EXPOSITIO

*vers. 21. Deuteronom: XXIII.*

*tractationi Loci in Compendio Hutteri XXVI.*

DE

VOTIS MONASTICIS  
INSERVIENS

IN

GYMNASIO SAXO - HENNEBERGI-

CO, QUOD SILUSIÆ EST,

*ad diem 21. Junii M D C C II.*

horis locoque consuetis

publice ventilanda

proponitur.

PRÆSIDE

**Friedr. Ernst Meis** / SS. Theol.

Doct. Past. Superintend. & Gymna-  
sii Ephoro.

RESPONDENTE,

Johanne Abrahamo Schubarto, Lufato

Gymnasii Alumno.

SILVSIÆ,

*Literis Georgi Wilhelmi Goebeli, Illustr. Gymnasii Typographi.*

b  
diss. A  
16

*[Signature]*  
a. LXXVI. 16.

INSTITUTION

ANNO DOMINI 1771

IN REGIA UNIVERSITATE

PHILOSOPHIAE

INSTITUTIONIS

PHILOSOPHIAE

PHILOSOPHIAE

PHILOSOPHIAE

PHILOSOPHIAE

PHILOSOPHIAE

PHILOSOPHIAE



PHILOSOPHIAE

PHILOSOPHIAE

PHILOSOPHIAE

PHILOSOPHIAE

1771

*Verba Hebraica sunt:*

כרתוד נדר ליהוה אלהיך לא תאחר לשלמו כדרש  
ידרשנו יהוה אלהיך מעמד ויהיה בך חטא:

*Chaldaica Paraphr.*

ארי-תודור נדר, קרב-י אלהיך לא תאחר לשלמותיה  
ארי-מתבע ותבעניה יי אלהיך מנך ויהי בך חובא:

*LXX. Interpr.*

Εάν δὲ ἐύξη εὐχὴν κυρίῳ τῷ Θεῷ σου, ἢ χρονίεις ἀποδῆναι αὐτήν, ὅτι  
ἐκζητῶν ἐκζητήσει κύριος ὁ Θεός σου παρὰ σου, καὶ ἔσται ἐν σοὶ ἀμαρτία.

*B. Sebast: Schmidt:*

Cum voveris votum Jehovæ Deo tuo,  
non differes exolvere illud: nam quærendo  
quæret hoc Jehova, Deus tuus, à tecum; erit-  
que in te peccatum.

*Jun. & Tremell.*

Si voveris votum Jehovæ Deo tuo, ne  
differto solvere illud; nam omnino reposce-  
ret illud Jehova Deus tuus abs te, & esset in  
te peccatum.

*A 2*

*An.*

*Anglica vers:*

When thou shalt vow a vow unto the  
Lord thy God, thou shalt not slack to pay it:  
for the Lord thy God will surely require it  
of thee: and it would be sin in thee.

*B. Luther:*

Wenn du dem HErrn deinem GOTT ein Ges  
lübd thust/ so soltu es nicht verziehen zu halten/  
denn der HErr dein GOTT wirds von dir fordern/  
und wird dir Sünde seyn.

כשה



כ"ה

## Sectio I. Exegetica.

§. 1.



Sicuti Δευτερονόμιον συντομὴν καὶ ἀνακεφαλαίωσιν  
 quandam legum & decretorum Dei præceden-  
 tibus libris sparsim indicatorum compendiose  
 exhibet, uti Clariss: Fabric: in partit: Cod. Hebr.  
 p. m. 29. loquitur: ita in cap. 23. dicti Devte-  
 ron: aliquot legum Mosaicarum *partim* circa  
 personas ad gerenda publica officia admittendas, vel non ad-  
 mittendas, v. 1-8; *partim* munditiem castrensem, v. 9-14; *partim*  
 humanitatem erga servos fugitivos v. 15-16; *partim* scorta non  
 ferenda, v. 17, 18; *partim* usurarum evitacionem, v. 19, 20; *partim*  
 fidelem votorum persolutionem, v. 21, 22, 23; *partim* proventum ex  
 alieno agro sub prætextu alicujus privilegii non efferendum, v.  
 24, 25, versantium continetur farrago, ex cujus recensione haud  
 obscurus esse potest scopus dicti nostratis, utpote in quo *præce-  
 ptum de fideli votorum* deprehendimus *exolutione.*

§. 2. Secundum analysin Logicam oculos adjiciendos ha-  
 bemus *tum* ipsi præcepto, *tum* rationi moventi. Præceptum  
 ipsum hypothetica constat propositione, cujus notanda *copula, an-  
 tecedens & consequens.*

§. 3. Par-

A 3

§. 3. *Particula* ׀ h. l. copulæ vice est posita, notatque idem ac *si*, siquidem ea in hoc significato multoties in sacro Codice invenitur, & quidem in ipso Deuteron: cap. 4, 29, c. 6. 25. c. 7, 17, c. 13, 13, c. 14, 24, c. 18, 6, 21, c. 28, 2, 13. &c. Cui particulæ quia negatio non est præposita, quamvis consequenti adjecta sit, ideo illa conditionalis propositio efficitur affirmativa, vid. Dn. D. Frid. Bechm. Log. L. 2. c. 13. p. m. 348; Nonnulli quidem Interpretes voculam ׀ per conjunctionem ordinis *postquam* exponunt, sicuti in loco parallelo Eccles: c. 5, v. 3. ׀, postquam, reperitur, ac si per hanc voculam ordo in vovendo & voti redditione innueretur, ut prius voti nuncupatio antecedat, quam voti sequatur redditiõ, hacque ratione resolutio institui posset talis, ut consideraretur (a) *rite facta voti nuncupatio*, quæ ordine ejusdem redditioni antecedat; (b) *ipsa præcepta persolutio*; & (g) *ratio movens*; At vero hanc resolutionem suo loco relicturi dicere haud veremur, quod simul per dictam voculam tempus adnotetur, quod indefinitum est h. l. *Si*, quando cunque etiam tibi visum fuerit, *voveris votum* &c.

§. 4. *Antecedens* hisce descriptum verbis: *Voveris votum Jehova, Deo tuo*, perpendendum exhibet (1) *efficientem*, sive *subjectum vovens*; (2.) *objectum personale & reale*; & (3.) *formam sive modum*.

§. 5. *Subjectum vovens* non quidem expresse additur, interim latet sub verbo ׀, atque universaliter accipiendum est hoc sensu: *Cum voveris, quicumque etiam sis*, sive mas, sive femina, sive maritus, sive uxor, sive filius, sive filia, &c. quem ׀ מֹשֶׁה Moses Numer: 30.2. seqq. instituit; *Cujuscunque sis conditionis, status, sexus*. Cumque generalis h. l. voti faciendi & exolvendi tradatur ratio, ad legem ceremonialem vel forensẽ non restricta, ipsumque præceptum omnes atque singulos obliget, dum ad legem pertinet moralem, nulli ideo excluduntur, neque Christiani, quamvis nos fateri oporteat, votorum faciendorum rationem potius spectare ad V. quàm N. T. quia ibi vota erant frequentiora. Et quo-

quoniam præter hæc votum nuncupans vi legis & præcepti votum reddere tenetur, itaque efficientis ratio fit hæc, ut ipse aliquid vovere valeat, sibiipfi sit relictus, neque errore aliquo devotis faciendis inflatus. Hinc à voto suscipiendo removentur, excludunturque infantes ob ætatis teneritudinem, dementes & rationis usu destituti; *Breviter*: Omnes voti nuncupandi impotentes, i. e. æqua, ut ajunt, lance objectum, modum & finem ponderare nescientes.

§. 6. *Objectum personale*, cui vovetur, est *Deus*; dicitur enim: *Cum voveris votum* ליהוה אל הוה Jehovah, Deo tuo, quorum vocabulorum explicationi diu inhærere nolumus, illud tantum adducturi, quam emphatice hæc dux voces adhibeantur, nam iis utitur Moses ad excludendum omne, quod non est Jehova Deus tuus, huncque constituit sensum: *Si voveris illi, qui est Jehova, Deus tuus*, qui unus in essentia, & trinus in personis, Creator, redemptor & sanctificator tuus. Nulli igitur, qui non est Jehova Deus tuus, votum facias, sicque sancti, idola, statua, venti, &c. excluduntur, de quibus asseri nequit: *Cum voveris votum Jehovæ Deo tuo*: Illis omnibus neque competit vox Jehova, quippe soli Deo propria & essentialis, neque vox Elohæcha, nam sunt Dii alieni. Hanc explicationem stabiliunt *tum* loca parallela, Num: 30, 3, Ps. 76, 12, Eccles. 5, 3, 4, in quibus, ut & in ceteris omnibus, in quibus תוּ vovere & voti nuncupati fit mentio, objectum personale solus Deus, non autem quispiam alius ponitur, *tum* quod votum sit species juramenti promissorii Deo præstiti, *tum* severa judæorum reprehensio, quod illi alii præter Deum votum fecerint, Jerem: 44, 25.

§. 7. *Objectum reale conjugato* נָרַר, quod verbum נָרַר more Hebræorum regit, eleganter exprimitur, juxta canonem à B. Glass. in Philol. S. l. 3. tr. 3. p. m. 335. adductum: *Verba Hebræa crebro & eleganter regunt nomen conjugatum & cognatum quo vel significati intenditur emphasis, vel effectum & objectum actionis innuitur*, ubi B. Theologus insimul adnotat, priori modo nomen à Latinis per-  
abla-

ablativum fere explicari; posteriori autem per accusativum, uti h. l.; quamvis hoc discrimen ex ipsius autoris concessionem non semper attendatur, inde etiam est, quod B. Geier: in Eccles: 5. 3. hanc phrasin cum ejusmodi phrasibus, in quibus verbale efferatur per ablativum, explicet. Quicquid vero hujus sit, illud tamen certo constat, vocem נדר exprimere objectum, quemadmodum ipse B. Geier. l. c. eam hoc modo exponit. Alias vocabulum נדר, votum, vel *abusive & in malam partem* adhibetur pro voto prohibito & peccaminoso, sive illicito; vel *proprie & in bonam partem*, uti h. l. Et ita iterum votum Synecdochice nonnunquam notat vel *integrum Dei cultum*, quæ vota vocantur *communia*, & ab aliis *præcepta*, ab omnibus necessario præstanda; suntque cultus divini exercitia, vota gratiarum, laudis, glorificationis; vel *vota ratione efficientis, objecti, modi & finis licita*, ab aliis dicta *particularia* de rebus arbitrio nostro subjectis, à nonnullis *adiaphora*, quæ nec præcepta, nec prohibita, adeoque libera sunt, & propterea ad ea non adstringimur. In quo posteriori significato vox votum h. l. à Mose sumitur; Nam de iis agitur votis, quæ sine peccato omitti possunt, veluti expresse v. 22, adjicitur, & quæ non ex mandato necessario sed voluntariò fiunt, v. 23. Jam vota in priori acceptione sine peccato omitti nequeunt, suntque necessario vi divini mandati nuncupanda. Horumque votorum in posteriori significatione acceptorum objectum vel est actus, vel res quædam. Utrumque in Lege vel præceptum, quod spectat ad objectum materiale, non verò formale & modificatum vel, saltem non prohibitum, quod attinet tum ad objecti materiale, tum formale, atque adeo licitum, Deo gratum, utile, possibile, ad honorem Dei, aliumque legitimum finem directum, non vanum, ineptum, ludicrum, profanum, non impium, superstitiosum illicitum, non naturaliter necessarium, impossibile, quod non sui est juris, non libertati Christianæ contrarium; Nam (α) *Deo fiunt vota*, & (β) *h. l. præcipitur, ut fideliter solvantur*, ideo objectum statuendum est nullum aliud, quàm quod jam fuit adductum, unde D. Geier: l. c. de objecto dicit: *Ad præstandum aliquem actum in lege vel præceptum, vel saltem non prohibitum, præstitum tamen possibilem, ac utilem, v. gr. laudare*



dare vel invocare Deum hoc aut illo tempore, loco, modo, succurrere proximo, castigare, vel in pietate exercere temetipsum, abstinere à certis recreationibus alioquin non illicitis, consecrare aliquid ad Dei cultum &c. Si, inquam tale quid Deo vovisti, ne &c. Cum itaque quidam sese devoverent, dicentes cum impiis Judæis Act: 23, 12, non comesturos, neque bibituros, donec hunc vel illum occidissent, hoc votum profecto, sive id, quod h. m. voveretur, illicitum Deoque exosum esset, nam dilectioni repugnaret. Similiter si quisquam voveret, se nunquam esse moriturum, vel se nunquam peccaturum, hæc certe vota essent irrita & temeraria, quia pro objecto haberent rem naturaliter necessariam, impossibilem, neque in voventis sitam potestate, conscientiamque plus justo ligantem. Accedit, quod triplex hoc votum non Deo, in ipsius gloriam, fieret, sed honori divino potius adversaretur. Ex quibus dictis erit liquidum, quamnam vovere, & non vovere liceat.

§. 8. *Formam, sive modum, quo voveatur, verbum נדר con-* tinet, significans, vovere, Deo promittere; Atque adeo נדר vovere est *religiosa obligatio Deo facta, sive animo tantum concipiatur, sive ore etiam emittatur; Utrumque enim verbum indicat, & utroque modo in Sacris adhibetur. Ostenduntque circumstantiæ hæcenus explicatæ, præcepti materia, consequentia, loca parallela, interque ea maxime Eccles: 5, 3, 4, ut & ipsa verbi significatio, etwas geloben/ ein Gelübde thun/ Gott etwas zusagen/ quod voti nuncupatio non fiat (α) ex errore vel ex falsa informatione falsis hypothesebus innixa, vel errantium multitudine orto; Nam errantium multitudo errori non parit patrocinium, sed ex antecedente sufficienti cognitione & erroris depulsione scienter & intelligenter; Aliàs actio ut stulta Deo placere nequit; Indeque nec (β) precipitanter, inconsiderate & temerarie, verbis aliquibus ex affectuum vehementia vel consuetudine sine sufficiente objecti, finis & virium consideratione profusis, quæ postea, si liceret, magno redimeremus pretio, sed deliberato consilio, & sollicita circumstantiarum præmeditatione, unde Ecclesiastes voventibus, ne ante votum sint temerarii, injungit, dicens l. c: Ne festines ore tuo, neque cor tuum accederet pro-*  

B

ferre

ferre verbum ante Deum; Nec (γ) ex hypocritico, fallaci & malitioso, sed sincero, fideli & pio corde, ex singulari pietatis in Deum Zelo; Omnem enim hypocrisin, dolum, simulationem & impietatem Deus abominatur Matth. 23, 13. seqq.; Nec (δ) sub opinione necessitatis & cultus, à Deo mandati, ac si quis ex divino mandato hoc vel illud, hoc vel illo modo vovere teneretur, nec coacte, si quis ad votum faciendum ferocibus minis, inclusione in carcerem, aut aliis violentis modis cogereetur, sed ex spiritu spontaneo & libera voluntate; Nam h. l. de votis liberis & adiaphoris sermonem esse, clare liquet ex v. 22. & 23. Quando verò abstinere à vovendo: non erit in te peccatum. Effatum labiorum tuorum custodies & facies: Sicut vovisti Jehova, Deo tuo, voluntarium, (הרב) spontaneum designat donum vel oblationem, non exigente illam certa lege vel statuto Exod. 35, 29, Efr. 8, 28.) quod locutus es ore tuo, inde Vinarienses in locum nostratem: Eine freiwillige Zusage eines heiligen Wercks. E. h. l. de tali voti nuncupatione sermo est, in qua liberum homini est relictum, nunc votum vovere velit, nec ne. Præterea omne, quod ab hominibus sub opinione cultus introducitur, nec tamen præceptum est, Deo abominabile est, Matth. 15, 8, 9. Si igitur h. l. vovere, cultus divinus, esset habendum, illud sane homini non amplius esset liberum, sed ut voveret, eum oporteret; Nam quod ad cultum à Deo mandatum pertinet, illud non liberum, sed necessario faciendum. Dicis: Supra §. antecedenti 7. inter alia loco objecti posuistis actum, vel rem præceptam, uti adducta exempla id comprobant. E. ipsimet conceditis, Mosen etiam loqui de τὸ vovere necessario & præcepto, consequenterque opinionem necessitatis & cultus excludere & remove h. l. minime potestis, sed necesse est, ut τὸ vovere h. l. partem cultus à Deo mandati, idque necessarium habeatis; Verum respond: Nulla est consequentia: Objectum est necessarium & præceptum, circa quod τὸ vovere versatur. E. etiam ipsum τὸ vovere est necessarium; Aliud enim est objectum circa τὸ vovere versans generale & materiale, aliud speciale, formale, modificatum; Adducta consequentia firma est non ratione illius, sed hujus objecti, de quo h. l. loquimur. Res exemplo fiet perspicua, v. gr. si quis voveret ob liberationem ex angustiis Deum quotidie per ali-

aliquot horas nixus genibus laudare, in hujus voti nuncupatione ob-  
 jectum materiale, est actus in lege præceptus, nempe laudare, verum non  
 formale & modus, quo vovetur; Inde etiam hoc votum non ne-  
 cessarium, sed liberum dicendum erit. Ex solo igitur generali  
 & materiali objecto τῷ vovere ratio dijudicari nequit. Quid?  
 quod dum h. l. de τῷ vovere, quod sine peccato omitti potest,  
 Legislator loquitur, respicitque non tam ad objectum, quam ad  
 actum, sicuti v. 22, manifeste tradit, res extra omne posita est du-  
 bium, nim: quod τῷ vovere h. l. opinio necessitatis & cultus non  
 fit affingenda, neque id pars cultus à Deo præcepti judicandum;  
 Nec (ε) in finem malum, scil: in sui ostentationem, vel sub opinio-  
 ne meriti, ad satisfaciendum pro peccatis, & promerendam gra-  
 tiam atque vitam æternam, sed bonum, specialis nim: erga Deum  
 gratitudinis ob beneficia declarandæ, devotionis acrius in nobis  
 exercendæ, hujus vel illius peccati ansæ præcidendæ causa, ob  
 calamitatis, vel præsentis dolorem, vel instantis metum &c. Præ-  
 ter hæc τῷ vovere absolute posito nihil refert sive illud absolute si-  
 ne adjecta conditione, sive hypothetice, sub certa conditione fiat, uti  
 Gen: 28, 20, 1. Sam: 1, 11.

§. 9. Consequens his includitur verbis, in quibus ipsa præ-  
 cepti continetur materia: לֹשְׁלֹמוֹ לֹא תֵאָחֵז, non differes exol-  
 vere illud, ubi evolvendum est (α) objectum actus præcepti perso-  
 nale & reale; (β) actus ipse præceptus; & (γ) modus.

§. 10. Objectum actus præcepti personale est, is, qui votum  
 nuncupavit; Etenim non alius votum faciat, alius v. illud per-  
 solvat, sed vovens, persolvensque unus idemque h. l. statuitur,  
 nisi casus necessitatis & causa fontica in votis realibus alii per-  
 solutionem imponat, quod verò in personalibus votis, minime  
 valet, de qua re vid: infra Sect: Dogm. §. 6. Et quemadmodum  
 in antecedentibus adducitur & describitur subjectum vovens,  
 in cujus voti nuncupatione omnia tum ratione efficientis, tum  
 objecti, tum modi, tum finis rite sese habent: Ita vi propositionis  
 hypotheticæ ut objectum personale tale sit, necesse est; Nam  
 B 2 con-

consequens, quod est præceptum ipsum, ex antecedenti infertur oportet igitur ut *tum* in vovendo *tum* in reddendo votum nuncupans pari ratione sit constitutus, quia copulæ officium est, connectere & unire; Hicque locum invenit Canon Logicus: *Talia sunt subjecta, qualia permittuntur esse à prædicatis & vice versa.* Injungitur itaque voti persolutio solummodo rite voventi, & ideo non omni absolute & in genere, sed omni cum certa limitatione, restrictione & conditione, si nim: quis legitime & rite votum faciat, is & quidem omnis, qui ita sese habet, votum persolvat; Sin verò quis rite vel ratione efficientis, vel objecti, vel modi, vel finis non voveat, ille neque votum exolvere tenetur, imò, si reddat, peccat; *v. gr.* Cum quis temerarie, coacte voveat, sive rem illicitam & impossibilem, vel sub opinione meriti ad merendam vitam æternam, ille certe hoc præcepto ad talia vota reddenda nequaquam obstringitur, quia ea verbo Dei repugnant: Nihil autem in aliquo præcepto divino facere jubemur, quod verbo Dei vel alteri Dei præcepto contrarium est.

§. 11. *Objectum* actus præcepti *reale* est votum rite sese habens, indicaturque per suffixum ך. Atque adeo omne, quod legitime votum, etiam est persolvendum, patetque hoc objectum tam late; quàm latè expositum fuit objectū reale §. 7; Interim non absolute universaliter accipiendum, sed cum data §. antecedenti limitatione & secundum substratam materiam. Hoc modo vota verbo Dei contraria, injusta & illicita non præcipiuntur exolvenda.

§. 12. *Actus præceptus* est *exolvere votum*, verùm quia in ipso hoc actu insimul latet *modus*, quod ex ipsa explicatione vocis ך, quæ infra v. 23, per שמר exponitur, servare, observare, custodire, retinere, cum cura, fidelitate, sollicitudine, diligentia, vigilantia, ne quid emittatur, elabatur, aut excutiatur, videre licebit, inde utrumque jungemus. *Redditio* voti ne sit (a) *tarda*, sed *citissima, promptissima, hilarique statim animo maturanda*; Nam sic Legislator sancit; לא תאחר ne tardes, non differes illud reddere; Ver-

Verbo enim **רָחַץ**, quod significat postremus fuit, moram fecit, tardavit, cessavit, cunctatus fuit, distulit, secundum Leight ita expectavit & cunctatus est, ut frustraretur expectantem in sua expectatione. Hab: 2, 3, Ps. 40, 18, & festinationi opponitur, h. l. per negationem contrarium affirmatum cum emphasi subinnuitur, secundum regulam à B. Glass: in Philol. f. l. 3. tr. 3. can: 20, & tr. 5, can: 20. datam: *Adverbia negandi verbis adposita, ἀντιθέτως sunt, & contrarium affirmatum cum emphasi denotant, q. d. promptus hilarique statim tuam Deo festines probare fidelitatem, sicuti commentatur B. Geier: in Eccl: c. 5. v. 3. p. 166, commemoratque l. c. vocem **שָׁלַם**, ad complendum illud, (ut & **שָׁמַר**) pulcre ob oculos ponere operis imperfectionem, si post votum non indivulse subsequatur persolutio, & quidem in votis hypotheticis post impletam conditionem & ejus rei, quæ voto à Deo fuit desiderata, impetrationem. Caveat itaque vovens, ne vel ex carnis oscitantia ac desidia, vel reluctatione ac mollitie varia querat subterfugia; verum si semel è corde vel labiis votum processit, non amplius ullum pœnitudini concedat spacium, sed quantum potest citissime Deo suam pietatem ac promptitudinem demonstrat; Bis enim dat, qui cito dat; & hilarem datorem diligit Deus 2. Cor: 9, 7; Servus autem, qui verbis velox, facto autem tardus est, hero suo vix placere poterit; Sic enim se vel stultum, vel hypocritam, mendacem ac infidelem manifeste prodit, quæ sunt iterum verba B. Geier: l. c. Et licet tarditate persolutio voti jam imperfectionis merito arguatur; attamen adhuc aliis modis redditio fieri potest imperfecta, ideoque requiritur, ne ( $\beta$ ) sit imperfecta vel ratione objecti vel sinceritatis cordis; Illomodo ne sit mutila & manca, sed perfecta & integra, ita ut voti respondeat terminis, i. e. ne plus sit in voti nuncupatione, minus in ejusdem exolutione, v. gr. si quis voveret, se post hujus vel illius rei consecutionem, inter pauperes centum joachimicos esse distributurum, at vero in voto reddendo dimidiam tantum daret partem, profecto hæc redditio esset imperfecta & manca; Nam **שָׁלַם** significat perfectum absolutum finitum esse, & in piel perficere, complere reddere, retribuere; E. actus præceptus vult, ut omne, quo imperfecta voti redditur exolutio, sit remotum, unde B. Geier: l. c. cum vo-*

*ei redditiō sit ejusdem primarium complementum ac perfectio, merito sane deformitatem hujus manci operis coram Deo sedulo vovens vitabit; Hoc modo, nempe ratione sinceritatis cordis ne sit redditiō hypocritica simulata, & dolosa, sed sincera, seria ex integro corde profecta, quam integritatem & sinceritatem scriptura perfectionem nominat, Gen: 6. 9, Phil: 3, 15. Utrumque etiam modum eleganter verbum וַוֹוֹ exprimit. Quicquid igitur voventi in reddendo voto incumbit, illud fiat vero & non simulato affectu, serio & non hypocritico studio, v. gr. si quis voto sese adstringeret, se quotannis aliquam pecuniæ summam ad pias causas esse soluturum, verum in voti hujus redditione posceret, ut è suggestu coram toto cœtu singulis vicibus voti sui mentio fieret, in hoc sane voto persolvendo subesset hypocrisis ea, quam Christus pharisæis objicit, Matth: 23, 5; Redditiō ne sit (γ) coacta, sed ex spontaneo & libero spiritu orta, sive voluntaria. Nam quamvis persolutio rei promissæ sit pars divini cultus, eaque in lege injuncta, & hac ratione vel maxime necessaria, quam necessitatem Ecclesiastes emphatice proponit, l. c. eam describens prius verbis negativis: *Ne tardes reddere illud*, & mox affirmativis: *quæ igitur voveris, redde*, q. d. *voti redditiō summe necessaria est*; attamen hæc necessitas non obstat, quin hæc persolutio sit voluntaria, cum voluntas non necessitati opponatur, sed coactioni; Datur enim necessarium, quod etiam sit voluntarium, v. gr. obedientia sit voluntaria, quam tamen lex exigit p. 5, 40, 9. Distinguendum igitur inter vovere sive votum ipsum, ejusque persolutionem. Votum sive vovere h. l. in se & formaliter est liberum, neque divinitus præceptum, proinde nec pars divini cultus, interim persolutio est necessaria, quapropter (δ) etiam redditiō consideranda non ut hominis arbitrio subjecta, sed necessaria. Voventi non liberum est relictum, num votum reddere velit nec ne, sed ad redditionem divino adstrictus est mandato. Nimirum liberum opponitur, vel coactioni, vel mandato; Illo modo libera est persolutio, non v. hoc, sic enim in Lege ut necessaria requiritur; (ε) Redditiō sit non imprudens & incuriosa, sed sollicita & circumspecta, quam verbum וַוֹוֹ re-*

re-

requirit. Cujuscunque idcirco voti redditio dicto modo fit, illa fidelis est & legitima.

§. 13. *Explicatum præceptum excipit ratio movens, quæ duplex & reliquis absolvitur verbis, quarumque prior à periculoso; posterior à turpi petita est. Prior ratio à periculoso desumpta est ultio divina, ubi ultor, objectum & modus considerandus est.*

§. 14. *Ultor est Jehova, Deus tuus, ille ipse, cui votum nuncupatum fuit, Deus unitrinus, omnipotens, omniscius & omnipræsens, qui sibi potissimum vindictam reservavit, juxta assertum Apostoli Rom. 12, 19: Εμοὶ ἐκδίκησις ἐγὼ ἀνταποδώσω, λέγει κύριος, supplicia à delinquentibus ἀποτόμως, i. e. ad unguem quasi & præcise, exigens. Hic, inquam, h. l. constituitur ultor. Et sicuti solus Deus est, cui votendum: Sic idem, non creatura, ultor ponitur; Etenim cur Deus hujus omissæ & neglectæ persolutionis non fit ultor? nam ipse omissione redditionis ludibrio habetur, q. d. vovens: Promitto quidem Tibi, o Deus O. M. hoc, verum id minime servabo.*

§. 15. *Objectum ulciscendum est personale & reale. Illud est vovens votique redditionem intermittens & negligens, innuiturque per מַעַבְדִּים à tecum, uti reddit Arias Montanus, & B. Brückn: in vindictis bibl. in h. l. dicit, *ly cum* redundare, ast pleonasmum hunc agnoscere haut videtur Nold; l. c. p. 637, interpretans integram particulam מַעַבְדִּים, a, ab, quemadmodum Junius & Tremellius in versione hujus dicti Noldium imitantur. Objectum reale indigitatur per וְדָגֶשׁ חָטָא & respectum habet tum ad tarditatem, tum imperfectionem redditionis & fraudem; Breviter: *Id omne, quo nuncupatum votum haut rite persolvitur, Deus ulturus est.**

§. 16. *Ultio indicatur vocabulo שָׁרַר significans, summo studio inquirere, accurate scrutari, sic 1. Paral: 28, 9, de accurata cordium scrutatione usurpatur, judicalem inquisitionem instituere contra eum, qui sanguinem effundit Ps. 9, 13, ulcisci, punire, Gen: 9, 5, ubi*  
ter

ter de cædis ultione reperitur. *Ultio erit (α) severissima* ita ut Deus, non aliter ac inquisitor cædium, exquisitam contra transgressorem instituat inquisitionem, iram suam in eum effundat, & gravissime puniat, utpote illum, quem extremè abominatur, & detestatur. Ultionis severitatem Ecclesiastes l. c. hisce effert verbis: *Cum voveris votum Deo, ne tardes exolvere illud; non enim beneplacitum est in (talibus) stultis & v. 5: Quare (enim) succenseret Deus propter istam vocem tuam, ut corrumpat opus manuum tuarum, q. d. Tantum abest ut Deus sapientissimus ac justus hujusmodi temeraria audacia, hypocritica & tarda stultorum studia probare queat, aut Deo vovens gratiam præstet officium, ut potius ipse turpiter & citra necessitatem, sponte, cum nulla ad votum faciendum teneretur necessitate, contra seipsum gravissimam & constantem Dei provocet iram, gravissimas post se habituram pœnas majorem & peccatorum & pœnarum sibi cumulum accersat, omnemque maledictionem in se derivet; quam ultionis gravitatem confirmat repetitio verbi: Requirendo requiret Dominus, i. e. omniratione, requiret, tu divino plane subjaces judicio; (β) ultio erit certissima. Certitudinem probat tum verbum ipsum, tum verbo additus infinitivus. וַיִּשְׁאַל notat ita inquirere, ut judex factum minime negligat, aut susque deque habeat, sive transgressorem inultum transmittat, opponiturque judici desidiofo, aut oblivioso, qui nisi subinde interpelletur, vel de cæde prorsus non inquit, vel de ultione aut pœna postmodum parum cogitat, idque ex vilipendio facinoris, vel fastidio laborum, vel metu odiorum aut damnorum, quæ omnia longissime à Deo abesse Moses verbo hoc וַיִּשְׁאַל ostendit, infertque, Deum infallibiliter & certissime requisiturum esse, quam certitudinem magis magisque probat infinitivus juxta canonem à B. Glass. l. c. c. 37, p. m. 349. allatum: *Verbum finitum quodvis regit suum infinitivum ad majorem certitudinem & evidentiam exprimendam; Ultio erit (γ) assidua & tamdiu duratura, quamdiu transgressor in peccato perseverat; quam assiduitatem & continuationem phrasis requirendo requirere indicat, i. e. Deus in inquirendo, iram suam evomendo & puniendo perget & continuabit.**



§. 17. *Posterior ratio à turpi deducta posset quidem loco probationis prioris assumi hoc sensu: Deus tardam & imperfectam voti persolutionem severe, certissime, assidue & constanter requiret, quia intermissio integræ & perfectæ redditionis gravissimum, inquisitione & quacunque pœna dignissimum peccatum, quo modo vau per conjunctionem causalem esset explicandum; Verùm, quia h. l. expresse per vau ultima verba prioribus annectuntur, & in loco parallelo Eccles. argumentum à turpi similiter urgetur, ideo nihil iniqui & incongrui erit, si hæc verba ut peculiarem tractemus rationem; Et licet ea B. Brukn: l. c. prorsus ad priorem referat, unicamque tantum statuatur rationem dicens: Metonymia cause pro effectu, nam peccatum pro mulcta ponitur, q. d. dabis pœnas; attamen secundum ipsius mentem peccatum involvitur; Atque facillime quisque concedet, ultionem, & peccati materiam requirere, ut peccati evolvetur ratio, peccatorique demonstretur turpitudine, & consequenter hæc ultima verba commodiori ratione argumenti momenti loco haberi. *ΝΟΤΑ* peccatum, aberrationem à scopo, deviationem à semita legis significat, inveniturq; de peccato immisericordie in proximum Deut: 15, 9, crimine morte plectendo Deut: 24, 17. blasphemia in Deum Lev: 24, 15; Sensus ideo est: *Et erit in te peccatum i. e. turpiter devias à lege, reusque es atrocis peccati, quod pœnam meretur gravissimam; Imò non unius sed plurium te reum facis peccatorum nefandorum, mendacii, infidelitatis, perjurii, hypocriseos. Peccati gravitas magis magisque inde elucet, tum quia hæc omnia in Deum tuum committis, benefactorem & conservatorem tuum; tum quia antea in libera tua fuit voluntate, tale quid vel vovere, vel intermittere.**

## Sectio II. Dogmatica.

### §. I.

**E**xposito dicto paucis doctrinam de Votis subjiciemus, & quidem secundum *ὀνοματολογίαν* & *πραγματολογίαν*.

§. 2. Quod *ὀνοματολογίαν* concernit, trademus (α) *Ετυμολογίαν*

C

*iam.* Votum dicitur à vovere, quod est religiose sese Deo ad præstandum aliquid obligare, & supra in Sect: Exeget: §. 8. dictum est, quid votum vi derivationis sit.

§. 3. (β) *Hononymiam*, quæ in superiori Sect: §. 7. ut plurimum fuit evoluta. Igitur jam, in qua significatione votum accipiatur, afferendum est, nim: in *significatu bono, non pro voto necessario & præcepto*, quod cultus divini pars est, sed *libero, licito tamen.*

§. 4. In *πραγματολογία* perpendemus *causas, & affectiones.* *Causa efficiens est omnis homo, qui vovere potest;* Ille autem potens est, qui sui est juris vel ratione ætatis, vel ratione status & conditionis, quique in vovendo intra limites vocationis suæ se continet, uti B. Bald. in Cas. conscient: p. 186. notat & probat. Excluduntur inde infantes, amentes & qui sub aliorum sunt potestate; Nam supra §. 8. dictum fuit, quod vota fiant ex proposito & deliberatione, intelligenter; Hoc modo infantes & amentes vovere nequeunt, quippe qui voti naturam non intelligunt. De iis, qui non sui sunt juris, cautum est in Lege Num: 30, 6. extante; Contra Papistas ad vota impuberes adigentes, & vota de peregrinationibus ad loca sanctorum, quæ religionis causa, non sine sumtu & impedimento negotiorum debitorum ratione vocationis commissorum fiunt, licita esse, statuentes, cum tamen omnibus sit injunctum I. Cor: 7, 20: *Unusquisque in vocatione, in qua vocatus est, maneat.* *Causa impellens* varia esse potest, nim: caritas & zelus erga Deum, recordatio grata beneficiorum Dei, fiducia impetrandi majora à Deo beneficia, Gen: 28, 1, Sam. I, promittitudo refrenandæ carnis, & domandæ concupiscentiæ, quarum causarum impellentium mentio facta est supra §. 8, lit: E.

§. 5. *Materia circa quam, sive objectum,* quod ex jam dictis constat, vel est *personale, cui vovendum, vel reale, quid vovendum sit.*

fit. *Illud est solus Deus, quod probatum dedimus §. 6. Contra Papp: posse vota etiam sanctis nuncupari asserentes, quos inter est Bellarminus L. i. de cultu sanctorum c. 9: Hoc juxta §. 7. omne, quod est licitum, sive non arbitrarium, quicquid alicui libitum fuerit, sed certis limitibus inclusum. E. non sunt vovendæ res illicitæ verbo Dei prohibitæ, v. gr. peccatum, nec ineptæ, nec corpori vel animæ periculum afferentes v. gr. flagellationes corporis, de quibus etiam supra §. 7. actum est, vid: B. Bald: l. c. p. 287, 288, 289; qui certo modo p. 295. etiam res indifferentes ad materiam voti refert, si nim: honesta attendatur circumstantia v. gr. si quis voveret se ad convivium non iturum, ob vitandam ebrietatem, vel scurriles sermones. Contra Papp: impossibilia, caritati repugnantia votis suis monasticis voventia; subest præterea in ejusmodi votis nefanda hypocrisis, quæ tamen omni modo caveatur; Adversanturque iis omnia ad vota rite nuncupanda requisita, efficiens, objectum, modus & finis.*

§. 6. *Forma voti consistit in promissione Deo facta, ubi notandum, promissionem hanc habere oportere omnia requisita. Sect: Exeg: §. 8. adducta, nempe ne fit ex metu & perturbatione, simulatione & hypocrisi &c. facta; de qua ratione formali erudite differens B. Bald: l. c. p. 301. seqq. p. 304. de voto cum conditione factò dicit, quod de honesta & possibili, non verò turpi & impossibili conditione fit intelligendum, additque p. 305, qt. alter pro altero votum solvere queat, scil: in votis realibus, non vero personalibus, & mixto, quod principaliter est personale, & ex aliqua parte reale, v. gr. si quis peregrinationem voverit ad locum aliquem.*

§. 7. *Finis est vel absolute talis gloria Dei; vel secundum quid utilitas proximi, & ædificatio sui ipsius. Contra Pontif: meriti & perfectionis causa vota fieri docentes.*

§. 8. Af.

§. 8. *Affectioes* (a) *legitima votorum nuncupatorum redditio*, quæ necessaria, utpote à Deo severe mandata; (b) *discrimen*. Ratione *temporis* quædam sunt *perpetua*, quædam *temporaria*; Ratione *loci* quædam *publica*, quædam *privata*; Ratione *objecti*, sive ejus, quod vovetur, vota sunt vel *realia*, vel *personalia*, vel *mixta*; Ad *realia* refertur, si quis certam pecuniæ summam in usum pauperum voverit; Ad *personalia*, si quis jejunium voverit; Ad *mixta*, si quis voverit certam pecuniam exulibus in aliquo loco viventibus offerendam; Ratione *modi* vel sunt *absoluta*; vel *hypothetica*.

Soli Deo Gloria!



Coll. diss. A. 76, misc. 16